QVAESTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS DVODECIMA MENSIS IANVARII.

M. IOANNE DEGORRIS Doctore & Medico Regio Moderatore.

794.

Eſt ne dyſenteriæ purgatio conueniens?

QVICQVID illud eſt in venis contentum quod in partium corporis ſubſtantiam facere debet, ſanguinem id perhibemus; ille cum primùm chylus eſſet, rudi quadam ſanguinis formâ adumbratus, ex iecoris demùm complexu & exquiſitâ contagione, verâ & expreſſa ſanguinis ſpecie ornatur, non caloris modò beneficio, ſed ingenitâ maxime viſceris proprietate; illinc, tamquam è fonte, in corpus omne diffunditur per venarum tubos, in quibus (nunquam cum otio ſanguine perfruuntur) ſummum perfectionis gradum adipiſcitur: hinc ſunt illæ huius gratioſi humoris locus legitimus, admirabili inſuper illarum vi & facultate, quâ conceptum ſanguinem, vel in vitâ functis animantibus, coire nunquam ſinunt: ille tamen è venis, ſiue in ventrem aut veſicam, ſiue in vterum vel inteſtina, ſiue in thoracis ſpatium, aliámve capacitatem excidat, concreſcit in grumum protinus, illo ſibi præ cæteris humoribus conceſſo diſcrimine; atque inde calamitatum ilias, dum factâ loci naturalis in extraneum mutatione, migrans ſanguis in partes corporis diuerſas, affectus excitat graues atque multiplices.

QVIPPE in cerebri ventriculos effuſus apoplexiam facit δυσλυτὸν; in neruorum propagines paralyſim præcluſo aditu τῶν ὁρμώντων: (quamquam eſt ſanguis illorum affectuum cauſa rarior) In obſcuras & latentes oculorum venas irruens ophthalmiam parit, cui ἀπὸ διαῤῥήξεως ...; In aures phlegmonem ex cerebri conſortio lethalem; in fauces κυνάγχην quarum via inuia ὠκυθάνατος; in pulmones peripneumoniam, quæ ſi vera, rara admodum: Impetens membranam quæ coſtis ſubtenditur, non ſpurios illos πλευρέων πόνους, ſed ἐκ συςάσιος ἐ συςροφῆς veras pleuritides committit; Cumulatiùs in viſcera prorumpens hepatitidem nephritidem, necnon inflammationes atque graues, ſi cerebri, ventriculi, lienis, veſicæ vel vteri ambitum περιλόγως circumdederit; neque verò ſolum hæ, ab illo intus noxæ, ſed & ſi forte an ad corporis extima appulerit, erumpunt ... ta, phygethla, anthraces, furunculi, ecthymata, πελιώσεις, γαγγραινώσεις, & cuiuſcumque generis phlegmonæ, in abſceſſus deſituræ malignos atque peruicaces: Tanta eſt ſanguinis, naturæ ... thelauri, ſed à natiuâ temperie degeneris, atque à venarum dominatu & domicilio ſecluſi malignitas atque contumacia.

SED grauiſſimorum affectuum apex & cumulus ſunt τὰ δυσεντερικὰ, quorum modus & ratio multiplex: Ἄτονον hepar fundit ἐξέρυθρον περίπλυσιν, quæ eſt πολυήμερος & ſæpe θανατώδης, egerendi tamen ratione facili, ſine morſu vel inteſtini tormine: Idem fatiſcens ex adultâ atrâ, ... μέλανα ᾗ πυάδη; ſi fuerit viſcus εὔτονον, dyſenteriam ciet αἱματηρὰν, euacuatione puri ſanguinis λαύρως ᾗ ἰσχυρῶς, ſed ſalutari, criticâ, periodicâ: Exulceratio inteſtini, διὰ ξύσιν ᾗ τεινεσμὸν, effunditur cum ſæuis doloribus colliquamenta varia, obtinens inter aluina ſymptomata (ſecluſâ cholerâ) principatum, ἐκ ῥεύματος συνισταμένου vel ὁρμωμένου, ſiue pituita putris ac ſalſa, ſeu bilis flaua vel atra, inteſtina abradat & exaſperet propter τὸ δριμὺ, τὸ ὀξῶδες, ᾗ τὸ διαβρωτικὸν, deductis inde primùm inteſtinorum muco, nec non adipe exiguo cruore perfuſo, pelliculis demùm ac fibris ab interiore tunicâ; hincque dum altiùs νομὴ depaſcitur, procidente carne, & putri, vel exeſâ propriâ partis ſubſtantiâ; atque hæc χάλωσις, iſthæc damna ſunt, impuri vitiatíque ſanguinis, è viſceribus ... is magnâ corporis perturbatione profuſi.

VERVM his in affectibus habet Medicina medendi leges naturæ legibus conſentaneas, ... um humoris impetum naturæ detrectantis obſequium reuocat à metis ad carceres, reuellens ad oppoſita, deriuans ad vicina, expurgans per ductus conuenientes, ἐπικερασιχοῖς demulcens ... neoteriſmo; quorum omnium ἡγεμονικὸν eſt venæſectio, tutiſſima inflammationum anchora, ſeu foris vel intus ſæuiant, illic verò purgatione parum ſecurâ: Atque cum inſulſæ plebeculæ ... temeritas Medicis Pariſienſibus tamquã frequentioris phlebotomiæ reis plurimùm inſultet, has cùm venæ ſectionis, tùm purgationis leges ſic habeto: Morbos quos puri ſanguinis vbertas ... plenitudo progenuit ſanat venæ ſectio: plenitudinem impuram non æquè tutò: calidam & bilioſam impurarum omnium tutiſſimè: melancholicæ parcior debetur: pituitoſæ omnium certiſſime: Quæ ad vires refertur plenitudo, venæ ſectione minuenda eſt, quæ tantum relinquat quantum natura facile gubernet: Exquiſitam autem venarum cacochymiã, quæ in venis citra plenitudinem conſiſtit, ſectâ vena minuere tutum quidem atque vtile, copiæ tamen ac virium ratione ſuſceptâ: eſt vero vbique ſpectanda morbi magnitudo cum virium robore coniuncta, ceu primaria venæſectionis ἔνδειξις, cuius ad conſpectum, nullum eſt phlebotomiâ morbis in omnibus remedium præſentius.

EST autem cacochymiæ proprium accommodatúmque remedium purgatio, quæ ... cerum vitio genita eſt, vel partis alicuius ſubſtantiam, aut corporis habitum occupauit, medicamento in primis non venæ ſectione ducendâ; atque illa quò impurior, eò liberalior inſtituenda purgatio eſt, quæ id, quod in gratiã cum Natura redire vix poteſt, eliminet: Sed in primis obſeruandi ſunt Naturæ ductus conuenientes; ſi enim purgationis vias morbus intercipit, aliò motum ... es, nec humoré noxium in affectam ſedem deriuabis, quocirca nec imbecillo ventriculo cienda vomitio, neque in inteſtinorum vlcere, aut inflammatione, bilis eò deuocanda eſt, ſed aliorſum ... enda: neque renibus inflammatis aut exulceratâ veſicâ ad vrinas, ſed ad inteſtina vitioſus humor conuertendus: denique humor noxius per conuenientes regiones atque vias delatus, ſi tendit ... atque ſi ſegniùs progreditur, incitandus: qui verò inſueto nec naturali curſu fertur inhibendus, quæ cum in aluinâ dyſenteriâ conſpicua maxime ſint, illi venæ ſectionem quidem meritò ... tionem minimè conuenire cenſemus.

Ergo non dyſenteriæ purgatio conueniens.

Proponebat Lutetiæ PETRVS YVELIN Pariſinus, Anno R. S. H. M. DC. XXXIV.

Domini Doctores diſputaturi.

M. CLAVDIVS GERMAIN.
M. GERMANVS PREAVX.
M. LVDOVICVS RENOVARD.
M. FRANCISCVS P... R.
M. NICOLAVS RE...
M. IOANNES DE ...GES.
M. GABRIEL HARDVINVS DE S. IACQVES.
M. MICHAEL DE LA VIGNE.
M. IACOBVS PERREAV.